



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Perfectionibvs Moribvsqve Divinis Libri XIV**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiae, 1620**

Cap. VII. Recollectio precatoria de Infinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](#)

Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. Hoc enim est fundamen-tum absequij totius & famulatus. Secundò, In officiis charitatis & benevolentiae, dum de bonis ipsius gaudemus, & illa ex intimo ani-mi affectu ipsi gratulam̄ur, dum eius gloriam promouere omni stu-dio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes ipsius dignita-ti tuendæ & amplificandæ deuouentes. Sic boni aulici suo Principi-totì addicti faciunt: illius enim virtutes & potentiam vbiique ex-tollunt, vt omnes in eius amorem & obsequium allicant, nec sus-tinent ipsius nomen à quoquam lādi. Tertiò, In officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, ceremoniis, hymnis, laudibus, preci-bus, votis. Hoc est officium Angelorum & Sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, vt Deum honorent, laudent, benedicant. Ita-que perfecta seruitus Dei est vita æterna & beatitudo nostra. Quar-tò, In custodia mandatorum, & in officio virtutis, dum aliquid bo-ni facimus, vt mandatis eius pareamus, vel vt ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quod minimum Dei bo-num, quæ Dei est, sit pluris æstimandum, quam bonum totius crea-turaræ, quæ creaturæ est, atqui omne bonum opus factum eo in-stitu, vt per hoc Deo gratificemur, eiusque voluntatem imple-a-nus, est bonum Dei; ergo pluris æstimandum quam omne bonum crea-turarū, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit vt Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam æternam, atque adeò seipsum cum omnibus bonis suis, tantum nobis effectu re-pendens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum; reddit ille nobis effectu idem bonum? illius enim amor efficax, noster inefficax.

## C A P V T V I I .

*Recollectio precatoria, de infinite.*

**D**OMINE Deus meus, Deus magne & teribilis, Deus immensæ maiestatis! Tu pelagus infinitum esse ria, bonitatis & beatitudinis, omne esse, & omne bonum in te concludens, & ab æterno eminenter anticipans, & præhabens, tamquam fons totius entita-tis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentialie omnium quæ sunt, & quæ non sunt: fine quo non solum nihil po-test esse actu, sed nec potestate, nec ullam habere rationem conce-ptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis,

finis, omnium conditor & formator, omnium sustentaculum,  
omnium locus, omnium æcum, duratio, terminatio, ordinatio,  
33 connexio, concordia, consummatio. In te omne bonum Angelorum  
pariter & hominum, atque totius naturæ, quæ est, & quæ non  
est. In te omnis gloria & dignitas, omnes diuitiae & thesauri, om-  
nes voluptates & consolationes, omnes deliciae, omnia gaudia, om-  
nes beatitudines. Tu Deus meus & omnia mea, Deus cordis mei,  
& pars mea, Deus in æternum.

34 Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi  
omnia tua, & tu Deus meus plus quam omnia. Quid enim sunt ce-  
tera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, um-  
bra sunt & vanitas omnes diuitiae & deliciae, nihilque gloria huius  
mundi, quæ miserè oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona,  
quæ in te sunt, cognoscere & persequi valeant. Et sicut qui dor-  
miunt, inani imagine diuitiarum, voluptatum & honorum delusi,  
nihil horum inueniunt cum excitantur; sed cum dolore animi vi-  
dent se miserè deceptos: ita accidet omnibus huius mundi amato-  
ribus, vitæ istius per mortem corporis discussio somno, mente in  
lucem alterius sæculi expurgiscente.

35 Nihil igitur illorum amem aut æstimem, sed te solum & bor-  
tua, quæ in te recondita, quæ tu ipse es, quibus fruentur æternum,  
qui hisce caducis contemptis, tibi inhæserint. Amem te supra omnia,  
& semper seruam tibi: quia infinitè melior es omnibus, & di-  
gnus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, om-  
nis gratulatio, omnis gloria, omnis seruitus tibi ab omni creatura  
in omnem æteritatem deferatur & impendatur.

## D E .